MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80264-8

AUTHOR: FRANKE, FRIEDRICH

TITLE: LECTIONUM AESCHINEARUM....

PLACE: MISNIAE

DATE: 1867

Master Negative #

91-80264-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Franke, Friedrich, 1805-1871.
...Lectionum Aeschinearum particula II. Misniae
Klinkicht, 1867.
24 p. 23 cm.

Academic programme

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-17-91 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

CLARISSIMO

GYMNASIO RINTELIENSI

IN HASSORUM TERRA PRISCAE FIDEI PROBITATIS RELIGIONIS DOMICILIO

IPSO DIE ET ANNO NATALI ECCLESIAE EVANGELICAE

PRID. CAL. NOV. A. MDCCCXVII.

GUILIELMI I. ELECTORIS SERENISSIMI AUSPICIIS CONDITO

DECEM LUSTRA FELICITER PERACTA

QUA PAR EST PIETATE

GRATULATUR

FRIDERICUS FRANKE.

INEST LECTIONUM AESCHINEARUM PARTICULA II.

MISNIAE.
Impresserunt C. E. Klinkicht et filius.
1867.

Quotiescunque Rinteliae reminiscor, reminiscor autem paene quotidie, laetissima animum meum subit eorum annorum memoria, quos olim iuvenis in ea urbe peregi. Viginti enim tres annos natus quum Lipsia, in qua urbe eos qui mihi carissimi erant relinquebam, illuc venissem, ut docendi munus in florentissimo gymnasio susciperem, si non docendi artis plane imperitus, at tamen vitae publicae ignorans, ita non solum a collegis, imprimis a Wissio directore, cuius auspiciis gymnasium et conditum erat et ad florem paene incredibilem venerat, sed ab omnibus civibus acceptus sum, ut mox lenito Lipsiae desiderio libentissime illic essem et laetissime. Ac profecto ferreus essem, nisi me et regionis summa amoenitas et civium egregia comitas et collegarum humanitas ac benevolentia totum sibi conciliassent devinxissentque. Ita octo illos annos, quibus Rinteliae vixi, in felicissimis ac laetissimis numero, quos aetas mea vidit. Quamquam quum illa tempora recordor, contristat animum cogitatio, quam sit sors humana infirma. Quotus enim quisque eorum, quibuscum tum vel muneris societate vel amicitia coniunctus fui, nunc superstes est? Decesserunt Wissius, Boclo, Fuldnerus, Schiekius, collegae carissimi: unus ex omnibus superest

Storckius meus, cuius probitatem animique candorem quicunque perspectum habent, semper eum plurimi fecerunt et dilexerunt, cui hodie omnes semisecularia muneris ex animo gratulamur et ut dehinc multos annos in otio liber a curis et vegeta fruens senectute vivat, vehementer optamus.

Triginta amplius anni praeterierunt, ex quo invitissimus et tristissimus Rintelia discessi; sed memoriam huius urbis nullo temporis puncto non pio ac grato animo colui neque umquam colere cessabo. Quare nemo mirabitur, quod solemnia gymnasii Rinteliensis, quae hoc die celebrantur, ad me quoque pertinere arbitror; mea quoque summa laetitia est, quod ea schola, in qua ipse olim quasi tirocinium posui et publicae vitae cursum auspicatus sum, et floruit tot annorum spatio et ita valet, ut certa spes sit nunquam eam quam sibi paravit optimae disciplinae laudem imminutum iri; me quoque animus impellit, ut ei hoc die festo et gratuler praeterita et optima quaeque in futura tempora exoptem. Valeat, floreat, crescat.

Interpolatos Aeschinis codices esse nota res est. Multa librariorum additamenta I. Bekkerus, editores Turicenses, Schultzius eliminarunt aut eliminanda esse iudicarunt, alia etiamnunc videntur superesse. Quamquam difficilis admodum et lubrica quaestio est de interpolationibus. In quibus investigandis cavendum est maxime, ne, quidquid nobis ad rem ipsam haud ita necessarium esse videtur, id protinus ex Aeschine exulare iubeamus neve illud unquam in hac re obliviscamur, apud oratorem etiam numero oratorio ac sono et audientium rationibus aliquid tribuendum esse. Statim quod Timarcheae orationis §. 5 extr. scriptum est: *ἐντεῦϑεν γὰρ ἰσχύσετε, ὅταν εὐνομῆσϑε καὶ μὴ καταλύησϑε ὑπὸ τῶν παρανομούντων καὶ ἀσελγῶς βιούντων*, si ultima tria verba omittuntur (atque omissa sunt in ablop Vatic. Laur., ob eamque rem a Benselero et Schultzio deleta sunt), mihi quidem, quamquam codicum auctoritati et ipse cedendum esse duxi, tamen aliquid et ad numeros deesse videtur et ad sententiam, siquidem consentaneum est oratorem statim ab initio, quodnam genus *τῆς παρανομίας* iudicio persequeretur, idemtidem significare. Ob eandem causam paulo ante non *τοὺς παρανομοῦντας* dixit, quum tamen quidquid fit contra leges caveri debeat, sed *τοὺς παρὰ τοὺς νόμους ἢ λέγοντας ἢ βεβιωκότας*, qua in re culpa eius quem reum fecerat omnis posita erat. Codicibus in hac re non multum tribuo, in quibus quam facile fieri potuerit ut illa verba librarii oculis ab altero participio ad alterum aberrantibus exciderent, non est cur exponam. Unum argumentum est quo illa verba convincantur, si verum est quod Cobetus N. L. 576. posuit, praesens verbi *βιοῦν* ab Atticis scriptoribus non, ut grammatici adhuc statuerunt, raro, sed nunquam usurpatum esse. Quodsi

ita est, quum h. l. *βιούντων* non possit pro aoristo haberi, sane nihil restat nisi ut illa verba ex Aeschine removeantur. Sed admodum dubia illa doctrina est. Euripides certe non abstinuisse videtur illa forma:

οὐκ ἔστιν ὅστις ἡδέως ζητῶν βιοῦν
εὔκλειαν εἰσεκτήσατ᾽, ἀλλὰ χρὴ πονεῖν.

fragm. Archel. 240. ed. Nauck, non minus Diphilus, siquidem ea scripsit quae Stobaeus floril. 105, 47. attulit:

βέβαιον οὐδέν ἐστιν ἐν θνητῷ γένει·
βιοῖ γὰρ οὐδεὶς ὃν προαιρεῖται τρόπον·

de qua re vid. Meinekii Com. IV. 424.

Quod 1, 6. scriptum est *ὁ Σόλων ἐκεῖνος, ὁ παλαιὸς νομοθέτης,* nescio quo iure Hamakerus Mnemos. VII. 451. dixerit risum moturum fuisse Atheniensibus, qui Solonem legislatorem fuisse in memoriam iis revocasset. Nam si nihil dici oportuisse statuemus nisi quod non satis cognitum esset audientibus, cetera omnia tamquam a lectoribus vel librariis interpolata delebimus, largissimam sane falx criticorum messem faciet maximeque oratores veteres concidet. At enim Aeschines non legislatorem fuisse Solonem dicit, sed antiquum legislatorem, idque ipsum h. l. aliquid momenti habet, iam antiquo tempore (*οἱ κατὰ τοὺς χρόνους ἐκείνους νομοθέται*) de modestia civium legibus cautum esse. Mihi quidem illa verba non minus hoc loco quam 3, 175 (*ὁ γὰρ Σόλων ὁ παλαιὸς νομοθέτης*) ab ipso Aeschine posita esse videntur, qui similiter etiam 3, 194. *ὁ Κέφαλος ὁ παλαιὸς ἐκεῖνος ὁ δοκῶν δημοτικώτατος γεγονέναι* de notissimo homine scripsit. Atque quod 3, 257. legitur *Σόλωνα μὲν τὸν καλλίστοις νόμοις κοσμήσαντα τὴν δημοκρατίαν, ἄνδρα φιλόσοφον καὶ νομοθέτην ἀγαθόν.* cave sapientiae laudem a Solone „quippe viro in causis et republica versato“ alienam putes. Vd. 3, 108. *Σόλωνος Ἀθηναίου καὶ νομοθετῆσαι δυνατοῦ καὶ περὶ ποίησιν καὶ φιλοσοφίαν διατετριφότος.* cf. Isocr. 15, 235. 313. Alia autem causa suspicionis, quae quidem probari posse videatur, nulla est. Nam si post vv. *τὸν καλλίστοις νόμοις κοσμήσαντα τὴν δημοκρατίαν* nihil aliud nisi *νομοθέτην ἀγαθὸν* additum esset, sane id ridicule ineptum esset; nunc, quod additum est *ἄνδρα φιλόσοφον καὶ νομοθέτην ἀγαθὸν,* id et novam laudem continet Solonis et simul bonarum illarum legum rationem et quasi fontem ostendit. Non habet quidem illa verba Alexander rhetor T. VIII. 444—448. Walzii, sed is etiam alia, quae ad suam rem nihil facerent, ut *σωφρόνως — νόμων* et *οὗ τελευτήσαντος — προπηλακισμῷ* §. 258. omisit. Unus locus est apud Aeschinem, quo Solonis nomini aliquid laudis a lectore aliquo appictum esse non sine quadam veri specie suspiceris. Nam 1, 183. *ὁ δὲ Σόλων ὁ τῶν νομοθετῶν ἐνδοξότατος* collocatio verborum ea est, quam ferre non posse grammatici videantur. Cf. Krügeri gr. gr. 47, 9, 10. Sed diu est quum viri docti intellexerunt haud raro ab illo legitimo verborum ordine recessum esse. Cf. Dem. 20, 73. *Θεμιστοκλῆς ὁ τῶν καθ᾽ ἑαυτὸν ἁπάντων ἀνθρώπων ἐνδοξότατος.* Herod. 7, 156. *τοὺς μὲν αὐτῶν παχέας.* Thuc. 3, 65, 2. *τοὺς ὑμῶν χείρους.* 8, 73, 5. *οἱ τῶν Σαμίων πλείους,* quibus locis nescio an illud quod est 6, 62, 4. *ἐς τοὺς τῶν Σικελῶν ξυμμάχους* defendatur. Xen. Hell. 7, 4, 34. *οἱ τῶν ἀρχόντων διακεχειρικότες τὰ ἱερὰ χρήματα.* Thuc. 1, 126, 6. *οἱ τῶν Ἀθηναίων ἐπιτετραμμένοι τὴν φυλακήν.* 3, 125, 3. *τοῖς τῶν ἐναντίων πρώτοις ἐπικεισομένοις.* 4, 111, 2. *οἱ δὲ τῶν Τορωναίων ἔνδοθεν παρασκευάζοντες.* 5, 64, 2. *τοῖς μὲν Ἀρκάδων σφετέροις οὖσι ξυμμάχοις.* 8, 90, 1. *οἱ τῶν τετρακοσίων μάλιστα ἐναντίοι ὄντες.* Paulo etiam frequentiores ii loci sunt, quibus quia inter articulum et genitivum partitivum interpositum est quod ad verbum pertineret, illa collocatio verborum pro legitima habetur. De qua re vid. Buttm. gr. gr. 125, 4. adn. 2. Cf. Thuc. 1, 48, 3. *ταῖς ἄριστα τῶν νεῶν πλεούσαις.* 3, 22, 4. *οἱ ἐν τῇ πόλει τῶν Πλαταιῶν ὑπολελειμμένοι.* 3, 36, 4. *οἱ αὐτοῖς τῶν Ἀθηναίων ξυμπράσσοντες.* 6, 102, 1. *οἱ πρὸς τὴν πόλιν αὐτῶν τὸ πρῶτον καταφυγόντες.* Lys. 13, 44. *τοὺς ἐκ Σαλαμῖνος τῶν πολιτῶν κομισθέντας.* Isocr. 7, 41. *τοὺς ἀκριβῶς τῶν νόμων ἀναγεγραμμένους.* 12, 23. *πρὸς τοὺς ἀδίκως μοι τῶν ἰδιωτῶν φθονοῦντας.* 12, 43. *τοὺς μάλιστα βίου τῶν Ἑλλήνων δεομένους.* Sed ad rem redeo.

De Aristide apud Aeschinem haec leguntur: 1, 25. *ὁ Ἀριστείδης ὁ τὴν ἀνόμοιον ἐπωνυμίαν ἔχων Τιμάρχῳ τουτῳὶ, ὁ δίκαιος ἐπικαλούμενος,* quae verba Thom. M. p. 157. ed. Ritsch. affert. 3, 181. *Ἀριστείδης ὁ δίκαιος ἐπικαλούμενος,*

ὁ τὴν ἀνόμοιον ἔχων ἐπωνυμίαν Δημοσθένει. 2, 23. ὡς ὢν Ἀριστείδης ὁ τοὺς φόρους τάξας τοῖς Ἕλλησιν, ὁ δίκαιος ἐπικαλούμενος. 3, 257. Ἀριστείδην δὲ τὸν τοὺς φόρους τάξαντα τοῖς Ἕλλησιν, οὗ τελευτήσαντος τὰς θυγατέρας ἐξέδωκεν ὁ δῆμος. Duobus primis locis verba quae sunt ὁ δίκαιος ἐπικαλούμενος Hamakerus l. c. ut ab eo adscripta qui doctrinam ostentare vellet quantocius expungi iussit. De primo loco idem iam C. Scheibius in Iahni annall. 68, 2. p. 155. statuerat statuitque etiam F. Schultzius Praef. Aesch. p. XIII., altero autem loco ea verba iam propter orationis concinnitatem in suspicionem vocari non posse uterque iudicavit. Sed illius suspicionis scire velim quae causa esse videatur. Certe quidem quod Aeschines bis in diversis orationibus iisque non eodem tempore habitis Aristidem iustum appellatum dicit, per se nihil habet quod offendat, dum utroque loco cur diceret causam habuerit probabilem. Atque mihi quidem inter eos, qui tum in iudicio aderant Aeschinemque dicentem audiebant, haud pauci quodnam tandem Aristidis cognomen Timarchi vel Demosthenis cognomini dissimile esset, nisi ipse orator indicasset, vehementer miraturi fuisse videntur. Quippe iustitiae vocabulum non solet communi ac vulgari usu ad modestiam ac temperantiam referri. Cf. Demosth. 2, 18. εἰ δέ τις σώφρων ἢ δίκαιος ἄλλως, τὴν καθ᾽ ἡμέραν ἀκρασίαν τοῦ βίου καὶ μέθην καὶ κορδακισμοὺς φέρειν οὐ δυνάμενος. Cobetus autem, cui Scheibius l. c. assensit, etiam 2, 23. ea omnia quae ad Aristidis nomen apposita sunt, ὁ τοὺς φόρους τάξας τοῖς Ἕλλησιν, ὁ δίκαιος ἐπικαλούμενος, delenda esse censet, quasi non aptissimum et propemodum dixerim necessarium fuerit eo loco, quo Demosthenes, homo scilicet largitionibus unus omnium maxime obnoxius, cum Aristide comparatur, etiam earum rerum excitari memoriam, quibus Aristides et iustitiam suam probaverit et cognomen iusti consecutus sit. At vel pueri, inquit, sciebant tributa ordinasse Aristidem eundemque iustum appellatum esse. Quid igitur patimur eandem rem iisdem verbis 3, 258. commemorari? quo loco nemo invenietur cui aut aptior, quam h. l., illius rei mentio aut magis necessaria esse videatur. Aut cur non saltem vv. οὗ τελευτήσαντος τὰς θυγατέρας ἐξέδωκεν ὁ δῆμος. quae plane

nihil ad rem facere videntur, expungimus? Quotum enim quemque tum fuisse putamus, qui non fando audierit Aristidis filias publice dotatas esse? Cur innumerabilia alia, quae quamvis omnibus essent nota, tamen commemorata ab oratoribus et exposita sunt, intacta relinquimus? Ceterum ut de illis verbis dicam quod sentio, Aeschines si eorum loco τὸν δίκαιον posuisset, plane idem dixisset. Paupertatem enim hominis laudat, qui quamvis in ordinanda tributorum ratione multas haberet locupletandi se occasiones, tamen iustus esse in summa paupertate, quam iniuste ditari maluerit. Sed redeo ad Hamakerum, qui non sine causa miratur, quod Aeschines tribus locis iis quibus Calliae Chalcidensis mentionem fecit, 3, 86. 89. 94., patriae nomen addiderit, recteque animadvertit ne semel quidem ea re opus fuisse, quandoquidem §. 85. Mnesarchum, patrem Calliae, Chalcidensem esse dixisset totoque illo loco de Chalcidensibus eorumque tyranno disputaret. Ego cur illud fecerit Aeschines, coniicere possum, scire non possum; sed illud mihi scire videor, nullum tam ineptum hominem exstitisse, qui tribus illis locis omnibus patriae nomen vel in margine adnotandum vel ipsis verbis oratoris inserendum putaret. Idem dictum volo de 3, 61. et 65., quibus locis quod ad Cersobleptis, notissimi sane hominis, nomen adiectum est τὸν Θράκης βασιλέα et ὁ Θράκης βασιλεύς. id Bakius in schol. hypomn. 4. p. 320. deleri voluit. Tertiae orationis §. 107. Hamakerus, ut est ad indagandas interpolationes curiosus, etiam ea verba quae sunt ὁ νῦν ἐξάγιστος καὶ ἐπάρατος ὠνομασμένος. deleta vult. Parum eleganter, inquit, idem participium bis intra breve spatium adhibetur. Recte tu quidem: non est istuc elegans: sed est tamen recte et commode dictum, satisque constat Graecos scriptores in summa vocabulorum copia ac varietate tamen longe abfuisse ab isto genere elegantiae, quod in diligenter devitanda eiusdem vocabuli iteratione positum esse existimatur. Cf., si tanti est, 1, 11. 2, 43. 61. 76. 98. At erat quidem, inquit, ille portus ἐξάγιστος καὶ ἐπάρατος. non appellabatur his nominibus. Admodum mira ista doctrina est, quae unde hausta sit, nescio; ex §. 113. quidem hauriri non potuit. Etenim portus ille ut erat sic appellabatur ὁ ἐξάγιστος καὶ ἐπάρατος. Quid multa? ne

Hamakerus quidem opinor non intellegit deletis illis verbis mutilam et mancam atque adeo ineptam orationem futuram esse: *ἔστι γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸ Κιρραῖον ὠνομασμένον πεδίον καὶ λιμήν.*

Ad Timarcheam redeo. In §. 8. obiter moneo etiamnunc mihi Aeschinem ob eas causas, quas in spec. novae ed. Aesch. p. 26. exposui, *περὶ τῶν παίδων τῶν ἡμετέρων*, licet id in duobus tantum codicibus repertum sit, non *περὶ τῶν παίδων τῶν ὑμετέρων* scripsisse videri. In proximis autem verbis (§. 9.) Cobetus et Hamakerus turbas excitarunt, ille, ut solet, docte ac subtiliter atque ita, ut etiam errore eius haec studia haud mediocriter adiuvarentur, hic satis inconsiderate. Quum enim apud Aeschinem ita scriptum sit: *ἀποδείκνυσι πρῶτον μὲν ἣν ὥραν προσήκει ἰέναι τὸν παῖδα τὸν ἐλεύθερον εἰς τὸ διδασκαλεῖον, ἔπειτα μετὰ πόσων παίδων εἰσιέναι καὶ ὁπηνίκ' ἀπιέναι*, Cobetus V. L. 314. cf. N. L. 452: „usus verborum *ἣν ὥραν*, inquit, ab aetate Aeschinis abhorret et *ἥν* pro *τίνα* positum vel *πόστην* arguit Graeculum. Emendo *πρῶτον μὲν ὁπηνίκα προσήκει κτλ.* Interpretatio veram scripturam expulit.“ Illud quidem argumentum quod secundo loco posuit, quam vim habeat, non satis intelligo. Nisi forte in interrogatione quae dicitur indirecta non licet relativis uti pro interrogativis. Cf. 3, 94. *ὃν δὲ τρόπον καὶ δι' οἵων κακουργημάτων, ταῦτ' ἤδη ἄξιόν ἐστιν ἀκοῦσαι.* Soph. Oed C. 1171. *ἔξοιδ' ἀκούων τῶνδ', ὅς ἐσθ' ὁ προστάτης.* Plat. Men. 80. C. *γιγνώσκω, οὗ ἕνεκά μ' εἴκασας.* Ibid. *Καὶ νῦν περὶ ἀρετῆς, ὅ ἐστιν, ἐγὼ μὲν οὐκ οἶδα κτλ.* Sed prius argumentum satis grave est. Pro explorato est enim veteribus Graecis neque diei in duodecim horas divisionem notam fuisse (nam quae apud Herodotum 2, 109. leguntur: *πόλον μὲν γὰρ καὶ γνώμονα καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον οἱ Ἕλληνες*, ea iam Salmasius ab aliquo interpolatore addita esse intellexit), neque *ὥρας* eas partes diei, quas nos horas vocamus, dictas esse. Athenaeus certe Ulpianum Tyrium *τὸν Κειτούκειτον* etiam hoc quaerentem facit, num *ὥρα* in scriptis veterum de certa diei parte dictum reperiatur. Vide de hac re Casaubonum ad Athen. 1, 2. p. 18. Schwgh., cui Hardouinus ad Plin. T. I. p. 405. frustra oblocutus est. Itaque si

certum est diei illam divisionem horarumque nomen, quo Dionysius Halicarnassensis (*ἀλλ' ὅσον ἢ δυσὶν ὥραις ἢ τρισὶν ἀνυσθῆναι* T. I. p. 419, 2.), quo Philodemus, Posidippus, alii id aetatis usi sunt (v. Iacobs Anthol. gr. VIII. p. 235. 249. 145. 374), Aeschinis aetate incognitum fuisse: quid illo loco faciamus? An ita putabimus illam difficultatem removeri posse, ut *ὥραν* ad aetatem referamus, quo modo Benselerus hunc locum interpretatus est (*in welchem Alter der freie Knabe in die Schule gehen soll*)? Minime. Nam neque graecum est illud genus dicendi, et ea quae statim sequuntur, non de pueri aetate, sed de ea diei parte qua pueri in ludum admittendi sint h. l. agi demonstrant. Sed tamen vix credibile est h. l. interpretamentum pro vera scriptura irrepsisse. Iam antiquo tempore certae quaedam naturalis diei partes, quas quidem solis positus indicaret, *ὧραι* appellabantur. Xenoph. Memor. 4, 3, 4. *ὁ μὲν ἥλιος φωτεινὸς ὢν τάς τε ὥρας ἡμῖν τῆς ἡμέρας καὶ τἆλλα πάντα σαφηνίζει.* Itaque Graeci in classem Persarum impetum facturi *ἐφύλαξαν τὴν αὐτὴν ὥρην* (Herod. 8, 14.) i. e. eandem partem diei, qua antea eam adorti erant, i. e. *δείλην ὀψίην* (c. 9. *die späte Nachmittagsstunde*) et Psammetichus (ib. 2, 2.), quum iubet infantibus capellas admoveri *τὴν ὥρην*, certam definitamque diei partem eam, qua solent infantes nutriri, dicit, et Dioclida apud Andocidem (1, 38), qui lunae splendore falsus media nocte aut certe ante diluculum de lecto surrexit, *ἀναστὰς πρῴ ψευσθεὶς τῆς ὥρας ἐβάδισεν* (nos dicimus: *er irrte sich in der Stunde*) et Euxitheus (Dem. 57, 12) noluit de se suffragia ferri *διὰ τὴν ὥραν* i. e. quia sero erat (*σκότος ἦν ἤδη* §. 10.) et Aristo ap. Dem. 54, 4. quum Cononis filios culpat, quod, *ἣν δειπνοποιεῖσθαι τοῖς ἄλλοις ὥραν συμβαίνει, ταύτην ἤδη παροινοῦσιν*, eam partem diei dicit, qua cenari solebat. Sic legislator apud Aeschinem id diei tempus, quo pueros in scholam ire oporteret, i. e. primum mane post ortum solis (§. 10.) definiit. Nulla igitur h. l. mihi quidem necessitas quicquam mutandi esse videtur. Sed quamvis Cobetus erraverit, egregia tamen illa de vocabulo *πηνίκα* disputatio et perquam utilis est; Hamakerus autem, qui eodem loco fluctus, ut aiunt, excitavit in simpulo, quid attulit quod aut cum voluptate legeremus aut

cum utilitate? Scilicet Aeschines Hamakero iudice non *τοὺς νεανίσκους τοὺς εἰςφοιτῶντας οὕστινας δεῖ εἶναι* (§ 10.), sed *τοὺς νεανίσκους τοὺς συμφοιτῶντας πόσους τινὰς δεῖ εἶναι* scripsit (Mnem. I. p. 452 sq.), nimirum ut eandem rem quam supra iam dixerat, *μετὰ πόσων παίδων τὸν παῖδα τὸν ἐλεύθερον εἰσιέναι προσήκει*, iterum, sed inepte ac perverse commemorasse videretur. Non intellexit enim Hamakerus, quaenam *συμφοίτησις τῶν παίδων* diceretur, neque animum attendit h. l. non de pueris scholam frequentantibus, sed de adolescentibus in scholam, quum pueri intus essent, intrantibus sermonem esse legisque latorem, id quod etiam is a quo legis formula §. 12. addita est recte intellexit, constituisse, quibusnam eorum, qui puerilem aetatem egressi essent, puerorum scholis interesse liceret.

Quae §. 11. leguntur *κελεύει γὰρ τὸν χορηγὸν τὸν μέλλοντα τὴν οὐσίαν τὴν ἑαυτοῦ εἰς ὑμᾶς ἀναλίσκειν ὑπὲρ τετταράκοντ᾽ ἔτη γεγονότα τοῦτο πράττειν*. nemo non confitebitur optime omnia et ad rem aptissime dicta esse, nulloque in verbo quisquam offendet aut haerebit. Iam vero illud *εἰς ὑμᾶς* in ablmp Vatic. omissum est. Quare Bekkerus cui Dindorfius egoque olim obtemperavimus, delendum esse censuit. Nollem factum. Nam et tam necessaria est h. l. eius rei in quam impensae fiant mentio, ut omitti non posse videatur, et talis est dicendi ratio, quam interpolatori vix ac ne vix quidem tribui posse crediderim. Cf. 3, 19. Dem. 38, 25. Nam si quis aliquid ad explicandam rem adnotandum esse putasset, is opinor *εἰς τοὺς χορούς* vel *εἰς τὰς λειτουργίας* (cf. Dem. 21, 61.), non *εἰς ὑμᾶς* adscripsisset. Sane quidem illi codices quos dixi optimi sunt, sed ita tamen, ut in re dubia momentum faciant; non ita praevalent, ut eorum gratia orationem depravari patiamur. Itaque etsi dici non potest quo casu illa verba exciderint, tamen, ut saepe, sic etiam h. l. ceteris codicibus obsequendum erat obsecutusque est F. Schultzius.

De vv. *μηδὲ (ἐξέστω αὐτῷ) ἱερωσύνην ἱεράσασθαι, ὃς οὐδὲ καθαρῷ τῷ σώματι διαλέγεται* §. 19. nunc illud assentior Scheibio (Iahni Ann. 35. p. 132. 68. p. 158.) et F. Schultzio, vb. *διαλέγεται* ex §. 18., in qua bis positum est de legislatore, male etiam huc illatum, deleto autem eo verbo etiam *ὡς*, ut

est in mr Vatic. Laur., pro *ὃς* scribendum esse. Atque hoc quidem, quum dudum Reiskius suscepisset, nunc etiam Bakius Mnem. 8. p. 106. reponi voluit, sed servato verbo *διαλέγεται*, ut tamquam in parenthesi legislator iam ipsam *τοῦ παιδὸς* personam alloquatur ut impuram. Sed ut taceam non de puero h. l. agi, sed de eo, *ὃς ἂν ἐγγραφῇ εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον*, quamnam vim illud *ὡς διαλέγεται* habet? an idcirco non licet *τῷ ἡταιρηκότι* sacerdotio fungi, quia legislator eum in ea lege ut impurum alloquitur? Imo quia impurus est. Quicquid de hoc loco statuimus, hoc certum est, sive *ὃς* retineas, sive *ὡς* scribas, verbi *διαλέγεται* subiectum non legislatorem, sed adolescentem illum impurum esse. Iam hoc uno modo forsitan illud *διαλέγεται* defenderis, si hoc statuas Aeschinem dicere, illum hominem non modo preces fundere ad deos aut sacra facere, sed ne confabulari quidem cum aliis hominibus puro corpore. Sed et absurda haec sententia est et perverse collocatum *οὐδέ* et prorsus inaudita ratio verbi *διαλέγεσθαι*. Itaque nihil restare videtur, nisi ut vb. *διαλέγεται* deleatur. Sed sic nondum persanatus hic locus videtur. Magnopere enim mihi illud *ὡς οὐδὲ καθαρῷ τῷ σώματι* displicet, non solum propter ambiguitatem quandam verborum, quam facile evitare orator potuit, si *ὡς οὐδὲ καθαρῷ ὄντι τὸ σῶμα* scripsisset, sed etiam quod *οὐδὲ* positum est, quasi illud minimum esset quod in sacerdote requireretur, ut puro esset corpore. cf. K. Fr. Herm. Antiqq. T. II, 34. Ego Aeschinem *ὡς οὐ καθαρεύοντι τῷ σώματι* (cf. 2, 88.) scripsisse arbitror.

Cur §. 24. Bekkerus verba quae sunt *διὰ τὴν ἐμπειρίαν τῶν πραγμάτων*, quae suspecta erant G. Hermanno, post vb. *ἀκμάζουσιν* poni voluerit, non satis perspicio, nisi forte non etiam illud senibus longus rerum usus affert, ut minus sint ad audendum parati. Benselerus, cui F. Schultzius in ea re obsecutus est, ante vb. *διά* incidit. Quid vero? num verba *διὰ τὴν ἐμπ. τῶν πρ.* ad prius membrum sententiae *(τῷ μὲν εὖ φρονεῖν ἀκμάζουσιν)* pertinere, quae autem sequuntur *ἡ δὲ τόλμα ἤδη αὐτοὺς ἄρχεται ἐπιλείπειν*, ea *διὰ μέσου* ut aiunt posita esse credamus? Ego quidem quid illa incisio sibi velit nescio, sed hoc tamen intelligere mihi videor, illa

verba, si rem ipsam spectes, ad utrumque membrum pertinere, quandoquidem etiam sapere (*εὖ φρονεῖν*) discunt homines multo rerum usu et exercitatione, si ordinem verborum, alteri membro adnexa esse, idque forsitan hanc causam habeat, quod illa in consulendo et agendo circumspectio atque consideratio (*τὸ μὴ τολμηρὸν*), propter quam senes in contionibus primi ad dicendum excitabantur, non fere ingenio aut naturae debetur, sed longo rerum usu atque experientia comparatur. — Paulo post illa verba haec scripta sunt: *ἅμα δὲ τοὺς νεωτέρους διδάσκει αἰσχύνεσθαι τοὺς πρεσβυτέρους καὶ πάνθ' ὑστέρους πράττειν καὶ τιμᾶν τὸ γῆρας, εἰς ὃ πάντες ἀφικόμεθα, ἐὰν ἄρα διαγενώμεθα.* Bakius in Mnemos. 8. p. 106 postrema verba, quae sunt *εἰς ὃ — διαγενώμεθα* deleri iussit. Quae verba si non sunt ab ipso oratore addita, quicunque addidit, certe intellexit deesse h. l. aliquid ad sententiae integritatem, cuius rei etiam ordo verborum indicium fecerat; non enim in his verbis quae sunt *τιμᾶν τὸ γῆρας* subsistere sententia et finem habere poterat. Non continetur illis verbis insulsa, ut ait Bakius, et putida observatio, sed causa cur coli senectutem oporteat indicatur. Simile est quod Bionem narrant dixisse: *οὐ δεῖν ὀνειδίζειν τὸ γῆρας, εἰς ὃ πάντες εὐχόμεθα ἐλθεῖν.*

§. 33. *Καθῆσθαι κελεύει τοὺς φυλέτας βοηθοῦντας τοῖς νόμοις καὶ τῇ δημοκρατίᾳ.* Hamakerus: Vix opus est, inquit, ut moneam futurum hic requiri et scribendum esse *βοηθήσοντας.* Frustra igitur olim G. H. Schaeferus (ad Plut. T. I. p. 370, 37.) speraverat eiusmodi locis qualis est ille in Coriolani vita c. 30. (*ἔδοξεν οὖν πᾶσι πρέσβεις ἀποστεῖλαι πρὸς τὸν Μάρκιον ἐκείνῳ τε κάθοδον διδόντας εἰς τὴν πατρίδα καὶ τὸν πόλεμον αὐτοῖς λῦσαι δεομένους*) criticam illam pruriginem persanatum iri; frustra causam huius rei ac rationem et Sintenis meus ad Plut. Pericl. 30, 14. p. 207 sq. subtiliter explicuerat (cf. nunc O. Schneider ad Isocr. I, 44, 3.) et C. W. Krügerus ad Thuc. 6, 88, 11. et Xen. Anab. 4, 5, 8. verbo significaverat, frustra Stangius in Iahni Annall. II. Suppl. p. 83. 237 sqq. 403** (cf. Maetzn. ad Lyc. p. 177. Cron ad Plat. Apol. p. 27 A.) ingentem numerum exemplorum coacervaverat; frustra docuerant viri docti idem genus dicendi etiam in latino sermone quamvis raro

obtinuisse (cf. interprr. ad Vergil. Aen. 2, 114.): tamen exstitit quem illa omnia nihil moverent. Sed bene accidit quod apud poetas eiusmodi exempla reperiuntur, quae ipsum metrum a criticorum libidine tueatur; in scriptores quidem illi igni ferroque grassati sunt. Cf. Eur. Suppl. 165. *ταυτὶ δικάζων ἦλθον.* Ibid. 131.

τούτους θανόντας ἦλθον ἐξαιτῶν πόλιν.

quocum cf. Isocr. 12, 194. *τούτων οὓς ἐξαιτῶν ἦλθεν.* Dem. 34, 12. *προσῄειν αὐτῷ ἀπαιτῶν τὸ δάνειον.* Isocr. 9, 14. *ἦλθον ἱκετεύοντες αὐτόν.* Dem. 55, 4. *οὔτ' ἐγκαλῶν οὐδεὶς πώποτ' ἦλθεν οὔτε μεμφόμενος.* Xen. Hell. 3, 5, 4. *ἀμυνόμενοι ἦλθον ἐπὶ τοὺς Λοκρούς.* ibid. 7, 1, 13. *οὐκ ἄρτι ἔλεγες ὡς ἐπὶ τοῖς ἴσοις καὶ ὁμοίοις ἥκοις τὴν συμμαχίαν ποιούμενος;* Eurip. El. 1019.

κεἰ μὲν πόλεως ἅλωσιν ἐξιώμενος
ἢ δῶμ' ὀνήσων τἄλλά τ' ἐκσώζων τέκνα
ἔκτεινε πολλῶν μίαν ὕπερ, συγγνώστ' ἂν ἦν,

ubi Nauckius *ἐκσώσων* de coni. scripsit. Iph. T. 1275:

πάρειμι καινῶν φόρτον ἀγγέλλων κακῶν.

Cf. Dem. 18, 169. *ἧκε δ' ἀγγέλλων τις ὡς τοὺς πρυτάνεις.* Thuc. 7, 25, 7. *ἔπεμψαν πρέσβεις — ἀγγέλλοντας — τά τ' ἄλλα δηλώσοντας.* Soph. Aiac. 768.

πέμπει με σοὶ φέροντα τάσδ' ἐπιστολάς.

Cf. 813. Xen. Cyrop. 5, 4, 24. *κήρυκα ἔπεμψε πρὸς αὐτὸν ταῦτα λέγοντα.* Id. Anab. 4, 5, 8. *καὶ διέπεμπε διδόντας τοὺς δυναμένους παρατρέχειν τοῖς βουλιμιῶσι.* Sed satis est haec attulisse. Ceterum vix opus est ut moneam *βοηθοῦντας* non esse pro *βοηθήσοντας* positum. Nimirum dum praesident contioni proedri, opem ferunt legibus, etiam si nulla iis potestatis suae exercendae data sit occasio.

Sequuntur in eadem paragrapho haec: *ἔστι δ' οὐδὲν ὄφελος, ὦ Ἀθηναῖοι, ζητεῖν τοὺς τοιούτους ἀνθρώπους ἀπελαύνειν ἀπὸ τοῦ βήματος ταῖς κραυγαῖς· οὐ γὰρ αἰσχύνονται· ἀλλὰ τιμωρίαις τούτους ἀπεθίζειν χρή· μόνως γὰρ ἂν οὕτως ἀνεκτοὶ γένοιντο.* In his tam graviter erravit Hamakerus, ut non potuerit gravius: verba *ζητεῖν - κραυγαῖς* ab ineptissimo interpolatore in textum illata esse; Aeschinem enim nihil dedisse nisi *ἔστι δ' οὐδὲν ὄφελος, ὦ Ἀθηναῖοι· οὐ γὰρ αἰσχύ-*

νονται· i. e. *ἔστι δ' οὐδὲν ὄφελος τοῦ ἀποκληροῦν φυλὴν ἐπὶ τὸ βῆμα ἥτις προεδρεύσει· οὐ γὰρ αἰσχύνονται.* Haec enim lex, inquit, quae, si quis pudor Timarcho eiusque similibus oratoribus superfuisset, eos ab immodesto tumultu continere potuisset, nunc inutilis erat: nam huiusmodi viri poenis coercendi sunt; lex vero poenas in eos nullas constituerat. Scire velim, qualem legem Hamakerus mente informarit. Quid? proedrosne constitutos esse, quorum adspectu scilicet oratores coercerentur, qui si se neglegi a minus verecundis oratoribus ac despici viderent, nulla in eos arma habituri, sed videlicet auctoritatis suae contemptum patienter laturi essent? Inutilis sane illa talis lex erat atque adeo ridicula. Sed illos proedros eo consilio constitutos dicit Aeschines, ut legibus opem ferrent et reipublicae, *ὡς, εἰ μὴ βοήθειάν ποθεν μεταπεμψόμεθ' ἐπὶ τοὺς οὕτω βεβιωκότας, οὐδὲ βουλεύεσθαι δυνησομένους ἡμᾶς περὶ τῶν σπουδαιοτάτων πραγμάτων,* atque idem eandem legem a Timarcho aliisque id genus oratoribus impugnatam esse narrat, *ἵν' ἐξῇ πράττειν αὐτοῖς καὶ λέγειν καὶ ζῆν, ὡς αὐτοὶ βούλονται* (§. 59.), ut dubitari nequeat quin Aeschini certe perquam utilis illa lex visa sit esse. Fons erroris, in quo Hamakerus versatur, est in vv. *ἔστι δ' οὐδὲν ὄφελος κτλ.,* quae ille sic interpretatus est, quasi Aeschines his verbis vituperare illam legem et quam nihil valeret ostendere voluisset *(ἀ λ λ' οὐδέν ἐστιν ὄφελος)*: imo quia nihil iuvabat istos homines clamoribus (quales a contione tolli solebant, *τ α ῖ ς κραυγαῖς)* a contionando deterrere, ob eam causam lex lata est de proedris constituendis, quibus ius multae irrogandae vel illud quod in legis formula §. 35. definitur vel aliud simile daretur *(τιμωρίαις τούτους ἀπεθίζειν χρή).*

In iis quae §. 47. scripta sunt: *οὔτε γάρ με δεῖ τοὺς ἐμαυτοῦ φίλους μάρτυρας παρασχέσθαι οὔτε τοὺς τούτων ἐχθροὺς οὔτε τοὺς μηδετέρους ἡμῶν γιγνώσκοντας,* vereor ne non recte fecerim quod recentiorum editorum exemplum secutus codicum auctoritati ita cessi, ut pro *οὔτε*, quod tertio loco est, *οὐδέ* reponerem. Neque enim per se rectum est duo genera hominum constitui, quorum alterum amicos Aeschinis, alterum Misgolae inimicos et eos qui utrique ignoti sunt com-

plectatur, tria enim haec, non duo genera sunt, neque in hunc locum satis convenit. Quo enim maiorem Aeschines difficultatem illam testium producendorum videri vult, eo magis consentaneum est non duo eum, sed tria genera hominum nominasse, quorum ex nullo testes eligi possent.

Duobus vitiis laborat §. 65., quorum de altero dixi in actt. soc. gr. 2. p. 46. et comm. de partt. negg. 3. p. 10.; alterum primus Hamakerus animadvertit et probabiliter emendavit. Corruptum enim esse voc. *μοιχείαις* nemo quisquam negabit, nisi forte a Timarcho et Hegesandro adulteria vel potius stupra in via publica committi solita esse putabit, ita ut quivis Atheniensium i n c i d e r e in ea (*περιτυχεῖν*) et oculis suis conspicere posset. Callide Bremius difficultates huius loci subterfugit. Nam quum vertit: *wer Zeuge ihrer Schmausereien und Ausschweifungen war,* nihil quidem in animo legentium reliquit dubitationis; apparet enim testes esse conviviorum et eorum quae inter pocula committebantur flagitiorum, quicunque ad illa convivia vocati et adhibiti essent; sed neque *περιτυχὼν* interpretatus neque *μοιχείας* proprie dici recordatus est. Benselerus autem qualem rei speciem animo informarit *(wer ist nicht einmal zufällig auf ihre Gelage und Buhlereien gestossen),* non perspicio. Nam et convivia domi intra privatos parietes, non in foro aut via publica, habebantur neque fere quisquam nisi invitatus iis interesse solebat, et amores (meretricii, opinor) lucem ac conspectum hominum fugiunt et cubiculorum tenebras amant (*λάθρα καὶ ἐν ἐρημίᾳ καὶ ἐν ἰδίαις οἰκίαις* 1, 19.). Sed ne de conviviis quidem h. l. sermo est. *Κῶμοι* enim sunt eorum, qui, ut Livii verbis utar, temulento agmine comissabundi per vicos urbis incedunt. *Πυγμάς* autem, ut ait Euripides Cycl. 538., *ὁ κῶμος λοίδορόν τ' ἔριν φιλεῖ.* Quippe comissabundi meretricum domos petere solebant (*οὐ δή που γε ἐπὶ γαμετὰς γυναῖκας οὐδεὶς ἂν κωμάζειν τολμήσειεν* Isae. 3, 14.) saepeque ob eam rem rixis et iurgiis inter aemulos ortis ad pugnas i. e. ad verbera ventum est, id quod ipse Aeschines sibi quoque accidisse fatetur (1, 136.): *οὔτ' αὐτὸς ἐξαρνοῦμαι μὴ οὐ γεγονέναι ἐρωτικὸς καὶ ἔτι καὶ νῦν εἶναι, τάς τ' ἐκ τοῦ πράγματος γιγνομένας πρὸς ἑτέρους φιλονεικίας καὶ μ ά χ α ς οὐκ ἀρνοῦμαι μὴ οὐχὶ συμβεβηκέναι*

μοι. Cf. Demosth. 54, 14. Accedit Isaei testimonium, quod attulit Hamakerus: *οἳ μάχας καὶ κώμους καὶ ἀσέλγειαν πολλὴν, ὁπότε ἡ τούτου ἀδελφὴ εἴη παρ' αὐτῷ, μεμαρτυρήκασι γίγνεσθαι περὶ αὐτῆς.* Itaque, id quod Hamakerus animadvertit, *μάχαι*, non *μοιχεῖαι* cum comissationibus illis coniunctae erant.

Quod olim vulgatum erat §. 74.: *εἰ δή τις ὑμῶν ἔροιτο τοὺς ὁδῷ πορευομένους*, inextricabili laborat difficultate. Illud quidem praeter Bremium (*„wenn Einer von Euch die Vorübergehenden fragen würde"*) nemo non vidit, genetivum *ὑμῶν* non posse ad *τίς* referri: neque enim hoc dicere poterat Aeschines: si quis vestrum ex aliis quaesiverit, et si dixisset, non *εἴποιτ' ἂν*, sed *εἴποιεν ἂν* subsequi debebat. Sed genetivus ille ne ad ea quidem verba quae sunt *τοὺς ὁδῷ πορευομένους* referri potest (*quicunque vestrum illac transierit*, Tayl.), quia ne sic quidem *εἴποιτ' ἂν* tolerabile videtur. Quare Hamakerus Mnemos. 7. p. 455. *ὑμᾶς*, quod est in *hq* et suprascr. in *t*, ita recipi voluit, ut simul etiam *τῶν ὁδοιπόρων* pro *τοὺς ὁδῷ πορευομένους* inferretur. Hoc quidem paulo audacius. Quidni enim etiam *ὁδῷ πορεύεσθαι*, cuius locutionis unum exemplum in Steph. thes. V. p. 1740. affertur, eadem plane ratione dictum esse putemus, qua *ὁδῷ βαδίζειν*, i. e. per viam incedere, consuevit dici? Si ita statuimus, *οἱ ὁδῷ πορευόμενοι* iidem sunt qui *ὁδοιπόροι* dici solent, ut apud Aristoph. Ach. 205. *πυνθάνου τῶν ὁδοιπόρων ἁπάντων* (*frag jeden, der des Weges kommt*, Ribb.). Sed illud laudandum est, quod *ὑμᾶς* restituit et pro *τοὺς ὁδῷ πορ.* genetivum postulavit. Quamquam hanc laudem Hieronymus Wolfius, vir multis nominibus de oratoribus graecis immortaliter meritus, totam sibi vindicat. Hic enim tribus seculis ante Hamakerum idem coniecit recteque illa verba sic interpretatus est: *quodsi quis praetereuntium vos percontetur.* Quod licet Taylor infeliciter coniectatum esse autumaverit, qui ipse non satis quid rei ageretur perspexisse videtur, tamen vix dubitari potest quin, si non verum sit, tamen proxime ad veritatem accedat. Nam quod ego post Benselerum scripsi et Schultzius quoque recepit: *εἰ δή τις ὑμᾶς ἔροιτο τοὺς ὁδῷ πορευομένους*, ipse Benselerus, quum ita interpretatus est: *wenn einer euch, wenn ihr*

des Weges daher kämet, fragen würde, satis ostendit ferri non posse. Obstat enim articulus (*τοὺς*), quo addito fit, ut illa iudicum per viam obambulatio in consuetudine vel etiam officio eorum posita esse videatur, omisso autem articulo illa verba nescio quid insolens ac perversum habent. Nam in conspectu illa lupanaria sunt (*ὁρᾶτε τουτουσὶ τοὺς ἐπὶ τῶν οἰκημάτων καθεζομένους*), ut iudices illico interrogari ab aliquo possint, non exspectandum sit, dum forte obambulantes in eum locum venerint. Denique, ut hoc quoque commemorem, quod nuper Dahmsius in Iahni Ann. 93. p. 224. coniecit: *εἰ δή τις ὑμᾶς ἔροιτο τῇ ὁδῷ πορευόμενος*, id ne graecum quidem est.

Ceterum mirum est quantopere ea verba, quae paulo ante leguntur: *ὅταν πρὸς τῇ ἀνάγκῃ ταύτῃ γίγνωνται*, interpretes torserint. Hieronymus quidem Wolfius, etsi paulo inconsideratius ad coniecturam confugit, *αἰσχύνῃ* enim pro *ἀνάγκῃ* scriptum fuisse suspicatus est, tamen quod quidem ex interpretatione eius *(cum ei necessitati est parendum)* intelligi possit, vim ac sententiam illorum verborum plane perspexit. Non perspexit Taylor, qui *Video,* inquit, *interea* (dum melioris codicis ope corruptus scilicet locus expediri possit), *quid velit auctor: qui necessario istud agunt, qui eum quaestum exercent non libidinis ergo, sed victus quotidiani causa, tamen ii ipsi non palam et publice prostant.* Mihi crede, nihil prorsus vidit, neque id mirum est; sed hoc miraculi instar est, quod, postquam etiam Reiskius rectam interpretandi huius loci viam ab H. Wolfio monstratam ingressus est *(prostibula ista mancipia fuisse, lenoni i. e. hero suo certa aera merentia, quibus non licuisse aliquem aes offerentem reiicere)*, nemo eum sequi voluit. Nam Bremius quidem quamnam dicat *miseram conditionem* significari, *qua illi, si non ab initio, postero tamen tempore se pressos sentiant,* plane non intelligo ac ne ipsum quidem Bremium intellexisse arbitror, sed idem in versione germ. Tayloris rationem *(wenn sie sich in diese Lage haben bringen lassen)* amplecti videtur; ac novissimus interpres ita Bremii vestigia pressit *(wenn sie in diese Lage hineingedrängt werden)*, ut de industria verborum obscuritate, quid ipse sentiret, occultasse videretur. Res est planissima. Isti homines, qui in lupanaribus prostant, si in

eam necessitatem venerint, ut alicui corporis sui copiam faciant (*τῇ ἀνάγκῃ ταύτῃ* i. e. *τῇ ἀνάγκῃ τοῦ πράττειν τὴν πρᾶξιν, ἣν ὁμολογουμένως πράττουσιν*), h. e. si quis in domum intraverit, ut cum aliquo eorum rem habeat, fores occludunt atque ita dedecus illud quasi quodam velamine obtegunt. Ac ne quid scrupuli in animo residere possit, vide mihi quae infra dicta sunt: *οὐχ ὁρῶντες τὸν εἰσεληλυθότα, ὅστις ἦν*, quae verba non habent quo referantur et intelligi omnino non possunt, nisi antea id ipsum, intrasse aliquem, dictum aut significatum sit. Hoc ipsum autem iis verbis de quibus disputatio est continetur: non aliter enim illi homines in eam quam dicit orator necessitatem veniunt, quam si quis in lupanar libidinis satiandae causa introierit. Itaque ego illa verba ita verterim: *wenn sie in diesen Fall kommen.*

Latet vitium in §. 88.: *ἔστιν οὖν ὅστις ἂν ἐμαρτύρησεν, ἢ κατήγορος ὃς ἐνεχείρησε τοιαύτην ἀπόδειξιν ποιεῖσθαι τοῦ πράγματος;* De re et facto sermonem esse manifestum est. Demophilus conquestus erat esse qui contionem et iudicia pecunia corrumperent. De ea re iudicia partim facta erant, alia instabant: nemo in illis testimonium dixit. Quare particula *ἄν*, quae in *df Abb.* omissa, in o supra scripta est, ita tantum ferri posse videatur, si *εἰ ὁ κατήγορος ἐνεχείρησε κτλ.* scribatur. Quamquam ne sic quidem cum iis quae sequuntur (*ἀπέφυγον οἱ κρινόμενοι; μὰ τὸν Ἡρακλέα, ἐπεὶ θανάτῳ ἐζημιώθησαν*) congruit, quae omnia non quid futurum fuerit, sed quid factum sit, quaeri demonstrant. Itaque recte Schultzius illam particulam sustulit. Sed non satis est *ἄν* delevisse: manet gravius vulnus in vv. *ἢ κατήγορος ὅς*. Nam non quilibet unus de pluribus accusatoribus dicitur, sed Demophilus, quem unum in illis iudiciis accusatorem exstitisse consentaneum est. Ac ne de Nicostrato quidem (§. 86.) cogitare licet. Qui si idem tum, quod Demophilus olim, conquestus est, tamen ea causa nondum in iudicium venerat. Itaque *ἢ ὁ κατήγορος* potius quam *ἢ κατήγορος ὃς* dicendum fuisse suspiceris eamque suspicionem ab iisdem illis codicibus, in quibus *ἄν* omissum esse vidimus, a quibus etiam *ὅς* abest, aliquid commendationis habere existimes. Quamquam admodum me male habet illud *ἢ ὁ κατήγορος ἐνεχείρησε κτλ.*, pro quo

vix dubito quin Aeschines ipsum nomen (*ὁ Δημόφιλος*) positurus fuerit. Quare non multum abest quin ita statuam, Aeschinem nihil aliud nisi *ἢ ἐνεχείρησεν* scripsisse, non ut id ad *ὅστις* referretur, sed ut Demophili accusatoris nomen subiectum haberet, lectorem autem aliquem, ut H. Wolfius post vv. *ἔστιν οὖν* interposuit *ἢ μάρτυς*, ita *κατήγορος ὅς* interseruisse post *ἤ*.

In his verbis §. 91.: *καὶ γὰρ τούτων οἱ μὲν ἐπ' αὐτοφώρῳ ἁλόντες, ἐὰν μὲν ὁμολογῶσι, παραχρῆμα θανάτῳ ζημιοῦνται, οἱ δὲ λαθόντες καὶ ἔξαρνοι γενόμενοι κρίνονται ἐν τοῖς δικαστηρίοις· εὑρίσκεται γὰρ ἡ ἀλήθεια ἐκ τῶν εἰκότων*, erat profecto cur duplex *μέν* offenderet. Ac G. H. Schaefero quidem (v. app. crit. ad Dem. II. p. 629*) alterum *μέν* visum est *περιγραφικόν* (*si quidem fatentur*) esse: *nam nisi ὁμολογοῦσι, fieri non potest, ut, quamvis ἐπ' αὐτοφώρῳ ἁλόντες. tamen absolvantur.* A qua sententia non multum abest H. Sauppius (ep. crit. ad G. Herm. p. 29.). Is enim, ut particulas negativas, ut *ἄν*, ut *γέ*, ita *μέν* bis poni censuit ita, ut prius ad totam partem priorem sententiae pertineret alteri oppositam, deinde iterum ei vocabulo adderetur, q u o d m o m e n t u m f a c e r e t. Iam vide mihi quid hoc loco illa verba (*ἐὰν μὲν ὁμολογῶσιν*) momenti habeant: qui in flagranti, ut aiunt, deprehensi sunt, ita tantum, si fatentur, morte plectuntur. Nihil id quidem ad rem. Non tenebatur enim in re manifesta Timarchus, et, si teneretur, orator satis inconsiderate confessione rei opus esse diceret; sic enim reus sperare debebat se iudicum suffragiis absolutum iri. *Ἴστε γὰρ δήπου τοῦθ', ὅτι ἀφ' οὗ γεγόνασιν ἄνθρωποι καὶ κρίσεις γίγνονται, οὐδεὶς πώποθ' ὁμολογῶν ἀδικεῖν ἑάλω, ἀλλ' ἀναισχυντοῦσιν, ἀρνοῦνται, ψεύδονται, προφάσεις πλάττονται, πάντα ποιοῦσιν ὑπὲρ τοῦ μὴ δοῦναι δίκην.* Dem. 19, 215. *ἀκριβῶς εἰδώς, ὅτι ὁμολογῶν μὲν ἀδικεῖν ἐν ὑμῖν οὐδείς πω ἀπέφυγε, ψευδόμενος δὲ καὶ παραγωγὰς λέγων ἤδη τις δίκην οὐκ ἔδωκεν* 40, 21. Quare si contrarium dixisset Aeschines (*κἂν μὴ ὁμολογῶσιν* vel *ἄνθ' ὁμολογῶσιν ἄντε μή*), id, etsi a veritate abhorret, tamen ad consilium suum accommodatius dixisset. At eorum exemplum, qui in ipso facinore deprehensi sunt, quamnam h. l. vim habet? Nempe negat Aeschines in

ea re, quae omnibus satis nota esset, testibus opus esse; alioquin omnes eos, qui nullo teste peccassent, a poena tutos futuros esse. Qui autem in delicto deprehensi sunt, certe eos testes habent, a quibus deprehensi sunt. Itaque eorum exemplum ad eam rem quae h. l. agitur plane non pertinere videtur. Res opinor ita se habet: nullum momentum facit prior pars sententiae, altera summum. Quippe altera alteri non aequalis sive, ut dialectici loquuntur, coordinata, sed subiecta est et secundariae quam dicunt sententiae vim habet. Vd. intpp. ad Dem. VI, 12. O. Schneider ad Isocr. 1, 12, 5. Frohberg. ad Lys. 12, 36. Duo sunt genera peccantium, quorum quum alteri qui in ipso delicto deprehensi sunt, si fatentur, statim interficiantur, alteri qui non sunt *ἐπ' αὐτοφώρῳ ἁλόντες* (*οἱ λαθόντες*) et rem negant, etsi nullis possunt testibus coargui, tamen idcirco non impune abeunt, sed in iudicia adducuntur, in quibus veritas, si testimoniis non potest, coniecturis verisimilibus invenitur. Horum mentio una ad id quod h. l. agitur aptissima est, illorum, etsi nullum momentum facit, tamen quasi necessitate quadam cogente addita est, quia non poterat *τῶν λαθόντων* mentio fieri, quin simul etiam *τῶν ἐπ' αὐτοφώρῳ ἁλόντων* memoria excitaretur. Apparet, opinor, quam non sit illa de particula *μέν* opinio admittenda. Dicam quid sentiam. Illud alterum *μέν* ad sententiam spectat suppressam et eam quidem ob causam suppressam, quia iis verbis quae sequuntur continetur. Vid. Polluc. 8, 102., qui haec habet: *οἱ ἕνδεκα ἀπῆγον κλέπτας, ἀνδραποδιστὰς, λωποδύτας, εἰ μὲν ὁμολογοῖεν, θανατώσοντες, εἰ δὲ μὴ, εἰσάξοντες εἰς τὰ δικαστήρια κἂν ἁλῶσιν ἀποκτενοῦντες*. Dem. 23, 80. *ἀπάγειν ἔξεστιν εἰς τὸ δεσμωτήριον (τὸν ἀνδροφόνον), κἀνταῦθ' ἀπαχθεὶς οὐδ' ὁτιοῦν πρὶν ἂν κριθῇ πείσεται, ἀλλ' ἐὰν μὲν ἁλῷ, θανάτῳ ζημιωθήσεται κτλ.* Vides plene dicendum fuisse: *(ἐὰν μὲν ὁμολογῶσι, παραχρῆμα θανάτῳ ζημιοῦνται) ἐὰν δ' ἔξαρνοι γένωνται, κρίνονται ἐν τοῖς δικαστηρίοις* idque ob eam causam, ne bis idem dicendum esset, omissum esse.

In summa obscuritate verborum quae sunt §. 95.: *καὶ ἀπεφέρετ' εἰς τὸ καθ' ἡμέραν ἔθος*. id unum perspicuum est, quaecunque interpretationes huius loci extant, earum nullam probabilem esse. Iurini ineptias *(et nihil omittebatur ex quotidiana consuetudine)* nihil moror, sed H. Wolfium, qui soloece *καὶ μηδὲν ἀπεφέρετο κτλ.* scripsit, inconsiderate secutus est Bremius, ne id quidem intelligens subiectum verbi non Timarchum esse *(und er nichts einnahm für seine tägliche Lebensart)*, sed *ἡ βδελυρὰ φύσις*, quam quidem satis absurde dixeris nihil pro praestita opera accepisse. Timarchum nihil tum neque praestitisse aliis neque ab aliis accepisse paulo ante Aeschines his verbis declaraverat: *οὑτοσὶ δ' ἔξωρος ἐγένετο, ἐδίδου δ' εἰκότως οὐδεὶς ἔτι οὐδέν.* Sed *ἀπεφέρετο* utrum medium sit an passivum, in incerto est. Pro medio H. Wolfius habuisse videtur, qui ita interpretatus est: *quum ingenium eius importunum et nefarium eadem subinde postularet et pro inexplebili intemperantia aliud atque aliud imperaret, quod pro quotidiana consuetudine absumeretur*; habuit haud dubie Benselerus: *als sein scham- und ruchloses Wesen immer noch nach dem Nämlichen Verlangen trug und in seiner übermässigen Zügellosigkeit eine Forderung nach der andern stellte und sie (!) zu seiner täglichen Lebensweise verausgabte.* Sed hic quidem portenta loquitur. Quid enim? ingenium hominis spurcum et libidinosum quae imperabat ea in quotidianum vitae genus impendebat? Adeone quemquam a veritatis sensu aberrare potuisse, ut naturam hominis sumptus in vivendi genus facientem patienter tulerit? An dubium esse potuit impurum istuc Timarchi ingenium non aliis nescio quibus, sed ipsi quotidie multa imperasse, in quae sumptus ab eo fierent, non expressisse ab aliis, quae in quotidianam vivendi consuetudinem impenderentur? Quippe homo, ut erat omnibus voluptatibus ac libidinibus deditus, postquam quaestum exercere desiit, non desiit libidinibus servire, quibus ut satisfacere posset, bona sua vendidit. Non quaero, possitne *ἀποφέρεσθαι* idem esse quod impendere: satis est illam interpretationem digito monstrasse, ut perversa esse intellegatur. Reiskio passivum esse visum est: *cum ingenium eius natura improbum et impurum deferretur ad appetendum ea quibus quotidiano usu insuevisset.* Sed ea interpretatio non unam ob causam displicet: primum, id quod Reiskius ipse sensit, non *ἀποφέρεσθαι*, sed *καταφέρεσθαι* in ea re dici solet; deinde ita tantum, opinor, Timarchus recte diceretur ad se atque ad mores suos deferri (redire), si paululum intermisisset

inveteratam vivendi consuetudinem aut certe aliquando ad frugem redire constituisset: at Aeschines cum ne punctum quidem temporis de mutanda vitae ratione cogitasse vult videri. Improba autem illa natura, quae nunquam sui dissimilis facta erat, non ipsa abripi ad quotidianam consuetudinem, sed Timarchum, si forte, abripere potuit.

Dubitatum est §. 103. de vi ac significatione verbi *ἠφάνισε*, nemo autem Aeschinem ipsum secum pugnare et in manifesto mendacio deprehendi animadvertit. Donec Timarchus, inquit, in tutela aliorum erat, tutores curabant, ut Arignotus patruus eius haberet unde viveret; sed postquam ille sui iuris factus rem familiarem suam administrare coepit, *τήν τ' οὐσίαν ἠφάνισε καὶ τῶν ἐπιτηδείων οὐδὲν ἐδίδου τῷ Ἀριγνώτῳ.* Iam his ex verbis, ut ego quidem arbitror, satis superque elucet, rem familiarem h. l. non dici disperditam s. funditus sublatam, ut Reiskio visum est et Bremio *(zehrte sein Vermögen auf)* et Benselero *(machte sein Vermögen zu nichte)*, quo sensu supra §. 101. *ἠφάνικε* dicitur; nam si h. l. profudisse patrimonium dicitur Timarchus, sane quam inepte ea quae sequuntur *(οὐδὲν ἐδίδου* i. e. nihil dare solebat) addita sunt; sed occultatam, ut ait H. Wolfius, i. e. *ἐξηργυρισμένην, ἐκ φανερᾶς οὐσίας ἀφανῆ γενομένην.* Vd. K. Fr. Herm. Antiqq. I, 162, 14. Cf. ad Dem. 5, 8. Vendidit bona sua Timarchus, vel patris exemplo (§. 101.), ut ne munera publica obire cogeretur, vel ut nihil se habere, quod patruo suo daret, simulare posset, vel, id quod Aeschines §. 105. significat, ut pecuniam, quam in cupiditates libidinesque impenderet, paratam numeratamque haberet. Sed quaenam bona vendidit? Nempe ea, quae supra §. 97. a patre ei relicta esse narrantur, *οἰκίαν ὄπισθεν τῆς πόλεως, ἐσχατιὰν Σφηττοῖ, χωρίον Ἀλωπεκῆσιν, οἰκέτας δημιουργούς, ἔπιπλα.* Cf. §. 105. At ea bona supra (§. 95.) tum demum vendidisse dicitur, quum iam obsolevisset et quaestum corpore facere prohiberetur. Itaque quid hoc esse dicas, quod Aeschines hoc loco eum statim postquam in suam tutelam venisset illa bona vendidisse narrat?